

Google


UC-NRLF
$B 254 523



DE CLAVSVLIS C. CAECILI PLINI SECVNDI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

ORDINI PHILOSOPHORVM

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

TRADITAM

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X. MENSIS MARTIS

ANNI MDCCCCIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

CAROLVS HOFACKER

RHENANVS.

ADVERSARII ERVNT

WOLFGANGUS ALY, ol. sen. sem.
MARTINUS FISCHER, cand. phil.




BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCCIII

PARENTIBUS

Index capitum.



Lingua Latina a vernacula plurimisque nostrae aetatis linguis hac re imprimis discrepat, quod singulas syllabas quantitate metitur et discernit, ita ut distinguat syllabas longas et breves, illae contra solum ictum respicientes distinguunt vocum sonos leves et acutos. Quae res primum in rem poeticam cadit. Et veterum numeri et metra poetica, quippe quibus iam a pueris imbuamur, haud fere minus quam vernaculae linguae praecepta metrica, in sucum et sanguinem nobis ducta sunt. Veteres autem auctores in pedestri quoque sermone numerorum rationem quandam affectasse minus adhuc fuit notum. Cuius rei primum in causa fuit, quod illius rationis regulae aeque certae et circumscriptae ac de re metrica nobis non exstant, deinde quod illud a nostri sermonis pedestris rationibus est remotissimum. Nonnulla eaque certissima testimonia tradita habemus, quibus, quanti momenti veteribus numerus fuerit, in universum illustretur. Quorum quae luculentissima videntur, verbo tenus proferam. Cicero in Bruti §§ 32/33 scribit: „Is scripsit praeclare . . . . . dum versum fugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. Ipsa enim natura . . . cadit (etiam) plerumque numerose." — Et in eiusdem § 68: „Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros." — Quo loco ille pedestris sermonis celeberrimus artifex expressis verbis bonae elegantique orationi numeros necessarios esse ostendit. Nam cum crudae illi Catonis rationi dicendi deesse illos contendat, iam procul dubio eos a vero quem ipse affectatum voluerit lepore seiungi non posse demonstrat. Deinde in Oratore, quo libro Cicero pingenda perfecti oratoris imagine artem suam ab Atticorum studiis defendere conatur, haud exiguam partem concessit numeris. Ipsa haec quam attigi Atticorum et Asianorum controversia, quam

ad numerum quoque pertinuisse inde elucet, quod Asianos ditrochaeum in deliciis habuisse constat, nos docet, quanto plus antiquis in prosa quoque oratione elegantia et lepos valuerit quam nobis.

Ex his, quas attuli, causis factum esse censeo, ut nostra aetate viri docti huic materiae non ita magnam navaverint operam. Duo soli fuerunt, qui ante Nordenum, quantum video, de numero classicae, quam dicunt, aetatis egerint, Georgius Wuest: „De clausula rhetorica quam praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit“ (Diss. philol. Arg. sel., vol. V, Argentorati 1881), deinde E. Mueller: „De numero Ciceroniano“, Diss. Berol. 1886. Praeter hos Havet edidit: „La prose métrique de Symmaque et les Origines métriques du Cursus“, Paris 1892. Huius libri cum censuram scriberet Guilelm. Meyer (Göttinger gelehrte Anzeigen, 1893, tom. I, p. 1) egit de clausula, quam saeculo II. repertam putat, et de posterioris temporis clausulis rhythmicis. Sed opus, quo tota haec quaestio perpenditur, ante paucos hos annos in desideriis solum erat philologorum, dum Norden hunc laborem suscepit et praestitit libro: „Die antike Kunstprosa“, 1898. Ille totum pedestris sermonis cursum, gradus, tempora explicuit et ostendit nobis, totam orationis prosae rationem a Graecis ad Romanos transiisse numerumque totius antique sermonis pedestris fundamentum et vinculum fuisse [1]). Peculiari commentario porro Norden de clausulae originibus et rationibus disseruit, quem illi, quo de dixi libro, appendicis II. loco adiunxit. Valois, Thurot, Duchesne, Couture, quorum de operibus Norden p. 924 sqq. egit, solum de mediae aetatis et imprimis ecclesiasticorum auctorum numeris disseruerunt. Eodem anno Bornecque, Havetum secutus, edidit librum: „La prose métrique dans la correspondance de Cicéron“, Paris. Idem (Revue de philologie 1900), de panegyrici Pliniani enuntiatorum initiis et incisionibus levioribus egit et nuper in eadem ephemeride (1902, p. 105—124) de numeris Bruti. Bornecquium clausularum, in quas inquisivit, rationem non perspexisse et propterea rem funditus turbasse hac ipsa evincam dissertatione. — Anno prae-

1) Cf. II, p. 909.

terito, haec cum exararem, in lucem edita est J. Wolffi dissertatio, quae inscribitur: „De clausulis Ciceronianis“, Lipsiae 1901. Quamquam Wolffius nonnulla profert, quae mihi suo loco refutanda erunt, tamen gaudeo, me cum eo de ratione et de formis clausularum illius temporis consensisse. Ipse inquisivi in clausulas et epistularum et panegyrici C. Plini Caecili Secundi, quem virum in hac arte mire valuisse demonstrabo.

Caput I.

Veterum de clausulis testimonia perquiruntur.

Antequam ad rem progrediar, de illa quaestione agendum mihi videtur, quae, quamquam summi est momenti, tamen a nullo adhuc satis ubere est perpensa, dico testimoniorum veterum, quae de numeris et imprimis clausulis nobis sunt tradita. Wuest et Mueller solos Ciceronem et Quintilianum inspexerunt; Meyer hypothesin uno in Terentiano Mauro posuit. Norden nonnulla collegit testimonia, sed adeo non accurate, ut ex illis rem funditus perspicere minime liceat. Ceteri his nihil adiunxerunt. Et tamen quam accuratissimam horum fontium perquisitionem imprimis certam ansam nobis praebere posse puto. Nam adhuc viri docti de clausularum rationibus diversissime iudicant. Ergo quaecumque ad haec pertinentia congerere potero, inspicienda ac perquirenda mihi erunt. Qua in re dux mihi fuit locus ille in Rufini frustulis (Grammatici Latini, ed. Keil, tom. VI. p. 573), ubi legitur: „Scripserunt Latine de numeris hi, Cicero, Victorinus, Eusebius, Terentianus, Varro, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Victor, Servius.“ Servata nobis sunt praeter brevia et abrupta Rufini frustula, quibus multorum de clausulis iudicia congeruntur, ea quae 1) Cicero, 2) Quintilianus, 3) Terentianus, 4) Probus, 5) Diomedes, 5) Julius Victor de numeris disseruerunt. Varro, quem in libris rhetoricis de hac materia egisse verisimile est, deperditus est. Item Victorinus, de quo adiungit Rufinus (Gr. L. VI, 573, 18—21): „idem multa dicit“. Maximus Victorinus ille esse mihi videtur, cuius in libro de arte grammatica legimus (Gr. L. VI, 192): „Clausula quid est? Compositio verborum plausibilis structurae exitu

terminata" et cuius nonnulli exstant commentarii metrici. Eusebius quidam, qui fortasse idem est atque ille, qui hoc loco nominatur, commemoratur in Halmi rhet. Lat. minor. p. 598, 20, deinde Macrobii in saturnalibus 1, 24, 14, ubi orator eloquentissimus appellatur. Ceterum, quantum video, nec de viro nec de opere quidquam constat. Donatus mea quidem sententia grammaticus est Aelius Donatus, cuius exstat ars grammatica (Gr. L. IV, 355—402). Fragmentum illius praebet Rufinus (Gr. L. VI, 577, 1); Aelii Donati id esse ea quoque re probatur, quod et commentator Pompeius (Gr. L. V, 294, 20; 295, 13 sq.) et fragmentum quod dicitur Bernense (Gr. L. Suppl. XXXV) de clausulis agunt[1]). Charisi exiguum solum exstat fragmentum apud Rufinum p. 572, 18. Servi in operibus, quae servata sunt, nihil de numero reperire potui.

Sed praeter hos, qui apud Rufinum enumerantur auctores, hi quoque in artem numerosam inquisiverunt:

1) Ignotus quidam, Caesii Bassi nomine traditus (Gr. L. VI, 308 sqq.), 2) Ignotus quidam (Gr. L. IV, 43), 3) Martianus Capella (Eyssenhardt p. 173, 4 Halm 476), 4) Consentius (Gr. L. V, 393), 5) Audax (Gr. L. VII, 324), 6) Anonymus (Gr. L. VI, 627/8). Rem denique tetigerunt). 7) Gellius I, 7, 16 sq., 8) Cassiodorus (Gr. L. VII, 211). Sacerdos plane congruit cum Probo (Gr. L. VI, 492—495).

Iam singulos perquiramus auctores. 1. Cicero. Ut nonnullis locis Bruti, ita uberrimis verbis Oratoris extremo de numero disseruit Cicero. Caput 64 totum clausulis vindicavit. Sed perspectam de clausulis doctrinam ex illo se hausturum esse exspectantem spes valde fallet. Nam neglecto incredibili illo errore, quod heroum versum, clausulae paenultimum si explet pedem, § 217 probat, quamquam et antea expresse vetuit ipse et eum vetuisse aliunde satis constat, eadem paragrapho iambum, si in extremo est, vetat, commendat eundum § 218: „amicos tenes". Frustra hanc paragraphum interpretari studuit Wuest p. 326. Recte igitur ait Martianus Capella (Halm, rhet. Lat. min. p. 476), item ac nostrae aetatis viri docti, Ciceronem rem funditus perturbasse[2]). Et tamen se

---

1) Cf. adnotationem p. 12.

2) Cf. Godofr. Hermanni opusc. I p. 121.

plus quam quemquam antea de hac materia praestitisse contendit § 226. Ipsa haec res in causa fuisse mihi videtur, ut ille adeo non perspicuus fuerit simulque luculenter hinc evincitur, quam non fuerit idoneus, ubi fontes deficiebant, ipsa ingeni vi aliquid proferre. Sed hoc utut se habet, illud gravissimum est, principem Romanorum pedestris sermonis auctorem clausulas et novisse et, licet fortasse magis sensus quam artis perspectam rationem secutum, adhiberi iussisse, nec ullo modo dubito, quin Cicero minus in studio, quam in rebus et usu versatus fuerit. Norden et Wolff ipsis Ciceronis exemplis collatis ostenderunt, Ciceronis usum a doctrina eius aliquantum discrepare et imprimis creticum in clausulis eius multo plus valuisse, quam ex Oratore exspectari poterat. Simul hinc perspicuum est, *praecepta Ciceroniana, si figuras respicimus clausularum, nullius fere esse pretii.*

2. *Quintilianus.* Mueller multa de eo fecit verba. Quintilianus quamquam IX 4, 87/88 miratur, homines fuisse, qui alios pedes eligerent, alios damnarent, non minus 27 clausulas enumerat, quas bene cadere putat:

1) ⏑ – – ⏑ – 2) – ⏑ – – – 3) ⏑ ⏑ ⏑ – – 4) ⏑ – – – – 5) ⏑ – – –
6) – – ⏑ – 7) ⏑ – – ⏑ – 8) ... ⏑ – – – 9) ⏑ – – ⏑ – – 10) – ⏑ – – ⏑ –
11) – – – – – ⏑ 12) ⏑ – – – – ⏑ 13) – ⏑ – ⏑ 14) ⏑ ⏑ – ⏑
15) – ⏑ – – ⏑ ⏑ 16) ⏑ – – ⏑ ⏑ 17) – ⏑ ⏑ ⏑ 18) – ⏑ ⏑ ⏑ 19) – ⏑ –
20) ⏑ ⏑ – – ⏑ – 21) ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ – 22) – ⏑ – – ⏑ – 23) – ⏑ – ⏑ –
24) – – ⏑ ⏑ – 25) ⏑ – – ⏑ ⏑ – 26) ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – 27) ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –.

Refutat clausulas: 1) ⏑ ⏑ – – 2) – ⏑ ⏑ ⏑ – – 3) – – – –
4) – ⏑ ⏑ – – 5) ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ – (109) 6) ⏑ ⏑ ⏑ – 7) – – ⏑ ⏑ ⏑ – (111).

Non raro a Cicerone, quem secutum se esse dicit, discrepat; interdum ne ipsi quidem sibi constat. Nam § 103 ipsum se corrigit, et cum § 94 exponat, non solum referre, quis pes claudat, sed claudentem quis antecedat, non dubitavit § 104, solum dactylum itemque amphibrachyn iustam declarare clausulam. Deinde etsi recte docuit, oratorem per se omnes numeros adhibere — numeri enim, quibus totus constat orationis tenor, ab iis, qui clausulis solis sunt accommodati, distinguendi sunt, ut ex Cicerone dilucide potest cognosci — tamen minus perspexisse mihi videtur, nonnulla clausularum genera sensim ita praevaluisse, ut illarum usu subtilioris artis auctores

fere item ac poetae praeceptis metricis stringerentur. Ceterum Quintilianus quoque in hac quidem re magis studium quam usum secutus videtur. Nam ex Wolffi dissertatione, eum clausulas Ciceronianas aut ignorasse aut non probasse apparet. Equidem Quintilianum numero et imprimis certis clausulis haud ita favisse crediderim, si quidem recte intellego, quae scripsit § 87: „Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent aliosque damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprendi", et ea, quae §§ 112—114 exposuit. Fortasse rhetor celeberrimus, qui tamen in omnibus quaestionibus rhetoricis subtilis iudicii et eximiae prudentiae se praestat, ea caruit aurium tenuitate, quae, ut Cicero ait, unicus in diiudicandis clausulis est dux.

Ex his, quae de Cicerone et Quintiliano disserui, elucet, certum nobis ex illorum doctrina iudicium de clausularum generibus non emanare [1]). Hoc autem testimonium gravissimum uterque praebet, c l a u s u l a s C i c e r o n i a n a e a e t a t i s p u r e m e t r i c a s f u i s s e n e c q u i d q u a m i n i l l i s a c c e n t u i v o c u m t r i b u t u m e s s e. Huius rei argumenta haec sunt:

1) Nec Cicero nec Quintilianus, quamvis ubere de numero disseruerint, ullo verbo vocum accentum commemorat. Et tamen Ciceronem imprimis plurimis verbis de iis, quibus numerus oratorius a numero poetico discrepat, disputantem videmus Oratoris §§ 188, 202.

2) Ipsa verba Ciceronis: Oratoris § 187: „Quodsi et angusta quaedam atque concisa et alia est dilatata et fusa oratio, necesse est id non litterarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate". § 188: „Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum". § 190: „Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros eosdemque esse oratorios, qui sint poetici". § 202: „Sed in utroque frequentiores et

---

1) Confer quae de hac re Godofr. Hermannus disseruit: Op. I, 121: „Nam quae — Cicero et Quintilianus de hac re disputaverunt, iis vereor ne perturbaverint magis hunc locum, quam expediverint."

liberiores poetae .... quod idem fit numeris, in quibus quasi necessitati parere coguntur". Cf. Rufinum (Gr. L. VI, 572): „Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Namque haec duo musici, qui erant quondam item poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico modulationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione, si efficitur coniunctione verborum, vitium, et tamen illam coniunctionem sic uti versum numerose cadere et quadrare et perfici volumus. Neque est ex multis rebus, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat".

3) Exempla et Ciceronis et Quintiliani: Oratoris § 223 affertur exemplum: comparant contra nos (´ – ´ –). Dispondiacam hanc clausulam esse expresse adiungitur. Et tamen in hoc exemplo eae syllabae accentu metrico sunt insignes, quae in pronuntiatione ictum non habent, nempe ultimae syllabae verbi trisyllabi et disyllabi. Hoc exemplum Wuestium fugit. Quintilianus porro testis est hisce exemplis: Romanus sum (´ – ´ ⏑), quae verba clausulam huius formae efficere contendit ´ – ´ ⏑. Tum § 101 „is contra nos" (´ – ´ –), clausulam dispondiacam esse vult. „In armis fui" ⏑ ´ ´ ⏑ ´ dochmius est. § 93 „incipientem timere" quam clausulam ditrochaicam esse ex comparatis verbis „confiteri" elucet. In omnibus his exemplis accentus vocum plane neglegitur.

4) Gellius N. Att. I. cap. 7, 16 Tullium tradit vel contra regulam grammaticam civitatem pro civitate scripsisse, simulque ostendit, illum oratorem ne tetrasyllabae quidem vocis ultimae syllabae accentum metricum imponere dubitasse, cum clausulam ditrochaicam efficere voluerit „civitatem fuisse" (´ ⏑ ´ ⏑), ´ ⏑ ´ ⏑.

Satis argumenta contulisse mihi videor, e quibus eluceat, clausulas Ciceronianas nihil aliud esse nisi figuras metricas,

quae tamen usitatissimos versus vel versuum partes respuant. Oratoris § 187 legitur: „Perspicuum est igitur, numeris astrictam orationem esse debere, carere versibus“.

3. Terentianus Maurus. Terentianus Maurus, in quo uno nititur Guilelmus Meyer (Gr. L. VI, 368), sex versibus eadem illa proposuit schemata, quae Wolff et Norden Ciceronem frequentissime adhibuisse docuerunt. Ipsa opera Tulli inspexisse videtur, cum ex doctrina eius haec cognoscere non fere potuerit.

4. Sacerdos/Probus. Gr. L. IV, 40—43, 10 uberius de numeris disputatur catholico illo quod Probi vocatur. Verba plane eadem sunt ac Sacerdotis (Gr. L. VI, 493—95), quem auctorem esse convenit inter viros doctos. Primo expressis verbis clausulam duobus ultimis vocibus constare explicat (Gr. L. VI, 393, 5). Quamquam non sibi conscius fuisse videtur, qua re Ciceronis et suae aetatis numeri differrent, tamen differentiam esse non ignoravit. Quam diversas a Ciceroniana aetate Probus/Sacerdos probaverit clausularum figuras, optime perspicies, si quomodo usitatas illius temporis clausulas commutaverit in clausulas tunc plausibiles, ut ita dicam, videris. Sine dubio his exemplis clausulas –́⏑–̀ –́⏑–̀, –́⏑` –́~, –́⏑–́⏑–̀ inesse auctorem fugit. Quantum porro auctor rem metricam neglexerit in clausulis, vel inde est perspicuum, quod positionis rationem non habuit, ubi verbum in consonam exiens sequitur vocem consona inchoantem. Exempla classica, quae adfert, demonstrant, Probum pristinas clausulas omnino non intellexisse. Iam omnes clausulas, quas ut suae aetati convenientes enumerat, deinceps notabo:

1) ⏑–⏑–––	12) –⏑⏑⏑⏑––
2) ⏑–⏑––⏑	13) –⏑⏑–⏑–⏑
3) ⏑⏑–⏑⏑–⏑	14) –⏑–⏑––⏑
4) ⏑⏑–⏑⏑––	15) –⏑⏑⏑⏑–⏑
5) ⏑––⏑–––	16) –⏑⏑––––
6) –⏑––⏑––	17) –––⏑––⏑
7) ––⏑––⏑	18) –––⏑––––
8) ⏑–––⏑––	19) –––⏑–––
9) –⏑⏑–⏑–––	20) ––⏑––⏑––
10) –⏑––⏑	21) ––⏑––⏑–
11) –⏑⏑⏑–⏑	22) ––⏑–⏑––⏑

23) – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – –	26) ⏑ – ⏑ ⏑ – – – –
24) – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑	27) – ⏑ – – ⏑
25) – ⏑ ⏑ ⏑ – – – ⏑	28) ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

Sunt 28 compositiones, quarum eas, quibus clausula Ciceroniana –́ ⏑ –̀ –́ ⏓ inest, facile cognosces. Non minus undeciens occurrit. Clausula ditrochaica vel trochaei continuati spondeo quater reperitur. Clausulae tertia et quarta finem heroici versus continent et tamen probantur. Item in clausulis Ciceronianis, quas enumerat, septem reperies huius mensurae –́ ⏑ –̀ –́ ⏓, quinque –́ ⏑ –́ ⏓, duas –́ – –́ ⏓. Apparet, doctrinam Probi/Sacerdotis a Ciceronis praeceptis magnopere distare. Nulla clausula in iambum, pyrrhichium aut tribrachyn exit, qui tamen pedes hoc loco a Cicerone nullo modo spernuntur. Quare Probum primi saeculi grammaticum hunc tractatum non scripsisse, mea sententia hoc uno de structuris evincitur capite. Nam fieri non potest, ut illius aetatis grammatici Ciceroniani numeri tam alieni fuerint, quam huius capitis auctor. Accedit, quod non semel de Ciceronis temporibus ita disserit, ut ex his verbis concludi possit, eum compluribus post illa saeculis scripsisse.

5. Caesius Bassus. Keil Gr. L. IV, 308 exhibet in tractatu, qui inscribitur Caesii Bassi de metris, caput haud ita breve de compositionibus, quo 52 compositiones enumerantur et exemplis illustrantur. Paradigmata ita composita sunt, ut numquam pes duorum verborum syllabis efficiatur, sed ultimus pes sive metrum semper integro constet verbo. Deinde non semel talia verba in posteriore loco sunt posita, qualia classicis temporibus per se clausulam effingerent. Ut exemplum afferam p. 311,28 compositionem: „bonus consulebatur“ probat. „Consulebatur“ usitata clausula –́ ⏑ –̀ –́ ⏓ est; sed quod nova ratio duas postulabat semper voces, aliquod verbum praeponendum erat. Haec de qua dixi forma non minus undecies occurrit, alia illa –́ ⏑ –́ ⏑ octies. Auctor in enumerandis compositionibus acquievit, nec quidquam adiunxit. Singulos pedes certo ordine composuit. Caesium Bassum, celebrem illum primi saeculi grammaticum, huius capitis auctorem non fuisse constat.

6. Diomedes artis grammaticae libro II (Gr. L. I, 468—

471) fusius egit de structuris. Quintiliano imprimis eum usum esse, exempla docent, quae cum illo communia habet, scilicet: „Etsi vereor iudices“, „novum crimen“, „incipientem timere“, „archipiratae“, „parricidarum“, „criminis causa“, „esse pro nobis“, „animadverti iudices“, „esse videatur“, πᾶσι καὶ πάσαις.“ Deinde et Quintilianus et Diomedes dispondium non probant, verba quinque syllabarum ut „archipiratae“ respuunt. Praeter duo exempla: „causa acta est“, „esse pro nobis“ semper duas solum ultimas voces respexit nec monosyllaba in structuris passus est, ita ut in illis singula metra singulis duabus vocibus respondeant[1]). Exempla Ciceroniana simili inscitia ac Probus/Sacerdos tractavit. Nam p. 470, 4—7 clausulas: „iudiciorum requirunt“, „actorem putabit“, „bellum videbam“, „congressus armatus“ hanc formam praestare putat – ⏑ ⏑ – ⏑; quamquam prima secunda tertia tritam illam huius formae clausulam praebent –́ ⏑ –́ ⏓, ultima illam non minus usitatam –́ ⏑ –̀ –́ ⏓. Altera pagina 471 clausulas: „sanguine‿imbuta‿est“ –́ ⏑ –̀ –́ ⏓, „documenta maxima“ –́ ⏑ –́ ⏑ –̀ (cf. Wolffi p. 586) commutavit in: „sanguine cruentata“ et „maxima documenta“, quae nullac omnino vel inusitatissimae Ciceroni erant. Porro p. 472, 4 verba quinque syllabarum: „inveniretis“ commendat (quamquam ante eiusdem mensurae vocem „archipiratae“, sane Quintilianum secutus, vetuerat) et adiungit, eo magis in clausulas cadere, si sex syllabas continent, ut „interrogaretis“. Et tamen et „inveniretis“ et „interrogaretis“ unam eandemque clausulam classicam exhibent –́ ⏑ –̀ –́ ⏓. Ceterum cavendum, ne illa re, quod ultima exempla unum tantum verbum exhibent, refutari putes quae supra dixi. Nam Diomedes 470,16 expresse adiungit, se priores pedes, id est priora verba (cf. 469,28), non iam praepositurum esse. Plus viginti structuras commendat, quae omnes fere in brevem exeunt syllabam, nec cum Probi aut Caesii Bassi compositionibus congruunt. Imperitissimum omnino Diomedem fuisse rei metricae, et inde elucet, quod positionem passim neglexit (esse = ⏑ ⏑, impetus = ⏑ ⏑ –), parricidarum = ⏑ ⏑ – – ⏑, iudiciorum requirunt = – ⏑ ⏑ – ⏑), et

---

1) p. 470, 14 „punitum“ scribendum esse persuasum habeo.

his cognoscitur verbis (p. 468,5): „Sed neque rhythmis neque metris oratorem uti decet, ne non dicere, sed carmen canere videatur.“ In fine tractatus Diomedes nonnullis verbis, quae nullo modo cum praecedentibus cohaerere videntur, quattuor clausularum systemata proponit, quadrata, incisa, confragosa, mollia[1]). Varronis haec esse Usener (Sitzungsberichte der bayr. Akademie, 1892, p. 642), coniecit ex divisionis ratione. Nec iniuste mihi verendum videtur, ne studium illud Varronis quaternas cuique rei tribuendi partes, rationem numerorum eius confuderit.

7. Martianus Capella. (Halm, rhet. Lat. min. 476/77.) Similiter ac Diomedes Quintilianum Martianus Ciceronem legit et excerpsit. Ceterum easdem rationes secutus est ac Probus, Caesius, Diomedes, nec magis illis veteres clausulas perspexit. Nam item atque illi semper duas ultimas voces eodem modo mensus est neque unquam plures respexit. Quod miro modo fugit Nordenum, qui II, 929 adn. 2 Martianum Pseudo-Asconio opponit, quamquam neuter Ciceronis clausulas usurpavit. Falso enim Norden docet, Capellam exemplis: „asserat caput leges“, „continet bonos cives“ clausulam –́ ⏑ –̀ –́ ⏓ inesse putasse. Nam expresse illa ex iambo et trochaeo (spondeo) composita esse adiunxit, quamquam illam compositionem, dummodo duobus ultimis verbis efficiatur, nequaquam refutavit. Conferas velim exemplum p. 477 „litus eiectis“. Ego eo magis miror Nordenum hoc praeteriisse, quod ipse luculentum Martiani exemplum ad demonstrandam hanc differentiam profert, id est: „litus eiectis“, et „rupḗs ēiḗctīs“. Nec dubium, quin Norden, si illud in exemplis Ciceronianis, quae adfert, invenisset, clausulam dispondiacam illi adnotaturus fuerit. Neminem porro effugere potest, Capellam nequaquam clausulas –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –́, dicreticam, et –́ – –́ – dispondiacam verbis: „scripta sed nata lex“, „de vita vis“ contineri cognovisse; sed solum paenultimam longam ante monosyllabum longum vitandam esse demonstrare studuit.

1) Cf. Nordeni p. 929, Adn. 2, ubi haec doctrina vocatur „eine höchst merkwürdige Theorie“.

8. Reliqua de clausulis testimonia. Restant praeterea nonnulla breviora de clausulis testimonia minoris pretii.

1) Keil VI, p. 627/28 edidit fragmentum Bobiense, quod inscribitur de structura, quoque aliquot enumerantur compositiones. Auctor Sacerdotem/Probum secutus esse videtur, cuius nonnulla enuntiata verbotenus adfert (p. 628,34 sqq.), etsi de figuris clausularum ab illo discrepat.

2) Keil VI, 565—578 edidit Rufini commentarium de numero oratorio ubi adferuntur testimonia multorum auctorum, imprimis Ciceronis. Sed omnia illa frustula, ea quoque, quae solo a Rufino nobis tradita sunt, minoris sunt momenti, quod exigua sunt et abrupta neque ita scientiam nostram augent.

3) Gr. L. IV, 443, tractatui illi Probi, de quo egi, appendicis quasi loco adiuncta est longa clausularum series exemplis illustrata. Has structuras, propius cum inspicerem, nihil aliud esse reperi nisi commentarius ille Caesi Bassi, quo de supra disserui, in angustum coactus. Exempla sane omnia mutata sunt, ordo interdum turbatus, nonnullaeque clausulae omissae sunt. Sed ex compositione singulorum generum structurarum summarium Caesii cognoscitur luculentissime.

4) Cetera quae restant testimonia, haec sunt:

a) Pompeius, commenti artis Donati p. 294,20 (Gr. L. V) scribit: „Plerumque propter clausulas hoc faciunt scholastici". Deinde p. 295,3. „Cacosyndeton est — et hoc propter clausulas facimus". Pompeius clausulam dicreticam Ciceronis non cognovit, quod elucet ex exemplo, quod attulit. Nam verba „nomen opponitur" non minus quam verba „imperatoris opponitur" illum effingunt numerum, proptereaque illa transpositione clausula non mutatur, si quidem pristinam Ciceronis artem sequimur.

b) Cum hoc coniungendum est, quod in fragmento Bernensi (Gr. L., Suppl. XXXV) legitur, quia haec verba item ac Pompei ex Donato vel Donati artis commentario deprompta esse videntur[1]), scilicet: „Clausula quid est?" „Compositio verborum sono plausibili structura exitu terminata."

1) Paucis enim versibus post Donati nomen bis commemoratur.

c) Eadem fere verba exhibent excerpta Audacis (Gr. L. VII, 324, 10): Clausula quid est? „Compositio verborum plausibili structura ad exitum terminata."

d) Consentius, artis p. 393 (Gr. L. V), dicit: „Sed de hoc genere scribendo longum est nunc disputare, cum sit nobis destinatus proprius titulus de structurarum ratione, ubi plane exscrutati fuerimus, quibus modis bonae structurae fiant et quibus modis vitiosae; eodem ipso titulo doceri poterunt, qui hoc genus barbarismi vitare voluerint, qua ratione rectas structuras sequendo nihil in temporibus barbarismi ponant." Totus sermonis tenor Probi/Sacerdotis stilum ac sententias sapit; quare illius tractatum adhibuisse videtur Consentius. Fortasse ille quem pollicetur quemque amissum dolemus tractatus nobis, si servatus esset, optatum ad perquirendas clausulas auxilium praebuisset.

e) Julius Victor (Halm, rhet. L. min. p. 433) nonnulla verba de numero fecit. Ciceronem vel Quintilianum excerpsisse videtur. Sed verba: „Nec creticus pes saepius frequentetur" certum argumentum praebere puto, Victorem classicas, ut ita dicam, clausulas non usurpasse.

Caput II.

Quomodo hi auctores inter re cohaereant et discrepent.

Quoniam singulos perquisivimus auctores, nunc quomodo inter se cohaereant et dependeant investigemus. Cicero ab omnibus fere auctoribus, imprimis a Martiano Capella, citatur. Quintilianum excerpsit Diomedes, ut exemplis, quae communia habent, luculenter evincitur (cf. p. 10). Ultima verba Varronis artem sapere Usener probavit[1]. Verisimillimum igitur, Diomedem in hoc quoque capite, ut solet, plurium fontium doctrinam commiscere, etsi fieri potest, ut uterque Varronianam praebeat doctrinam. Clausularum collectionem, quae Probo adiuncta est, summarium Caesi Bassi qui inscribitur commentarii esse, ostendi. Fragmentum Bobiense Probum commemorat. Omnia, quantum potuit, testimonia collegisse videtur Rufinus. — Sed ceteri auctores posteriorum saeculorum quo vinculo inter

1) Cf. Nordeni II, 929, adn. 2.

se cohaereant, eius rei haec sola vestigia reperi. Pseudo-Asconius in div. (p. 108, 4 Orelli) verba: „cuius ego causa laboro“, sic illustrat: „Inepti sunt homines, qui hanc clausulam notant ut malam, cum sit ex spondeo et baccheo de industria durior ad exprimendam sententiam posita more Ciceronis.“ Hoc iam Norden recte refutavit (II. 929, adn. 2). Adiungit deinde Asconius exemplum: „caret sed vita vis.“ Quorum quidem exemplorum prius exhibet Probus/Sacerdos (Gr. L., VI, 494, 2). Alterum Capella (p. 476) vituperavit, quod paenultimam longam monosyllabo praeponere non liceret. Praeterea simile exemplum: „ad meas capsas admiserim“ et Probus et Capella adferunt. Fortasse hinc suspicari licet, et Probum/Sacerdotem et Capellam et scholiorum auctorem ex uno fonte hausisse, qui quidem nobis amissus est. Sed illius fontis auctor clausulas Ciceronianas non magis perspexit quam illi, qui eius exempla commemoraverunt. Sunt enim clausulae, haec usitatissima ditrochaica, „causa laboro,“ –́ ⏑ –́ ⏓, altera dispondiaca: sed vita vis –́ – –́ ⏓. Quare Varronem eum fuisse non puto, quamquam Martianus illum saepe excerpsit.

Ceterum auctores posterioris aetatis, si figuras respicis numerorum, magnopere inter se discrepant, quare ex comparandis illis nullum fere fructum capere possumus. Sed fortasse auctores in adhibendis clausulis simpliciores et constantiores fuerunt, quam ex grammaticorum testimoniis intellegi potest. Porro illas definitiones clausularum, praemissa quaestione: quid est clausula? fere verbotenus congruere videmus et apud M. Victorinum, (Gr. L., VI, 192) et apud Audacem (Gr. L., VII, 324, 10) et in fragmento Bernensi (Gr. L., Suppl. XXXV). Sine dubio ad Aelium Donatum referendae sunt; qui quae scripsit de numero eo magis dolemus depertita esse, quod magna apud posteros fuit auctoritate.

Jam opus est me agere de graviore illa differentia, qua Cicero et Quintilianus a posterioris aetatis grammaticis distant. Nam cum illi compagem ultimorum verborum per se — neglectis vocum numero et distributione — in metrici schematis formam redigant, posteriores auctores omnes — quoad ex paradigmatis cognosci

potest — duo semper ultima verba respiciunt, monosyllaba in extremis clausulis respuunt, compositionis vocum rationem habent. Accentus verborum et metricus consentiunt, id quod omnibus fere probatur exemplis. Quo consensu adducor ut has clausulas totas alia ratione ac classicae aetatis structas esse credam, ita quidem ut non totam compagem metricam, sed duo tantum ultima verba, atque utrumque quidem singillatim, certa mensura adstringerent auctores. Quae opinio confirmabatur illa re, quod nomen ipsum numeri mutatur, aliis „structuram", aliis „compositionem" vocantibus clausulam. Ciceronem contra compositionem verborum a numero distinxisse, Oratoris §§ 192, 201, 202, 219 et imprimis quae supra p. 7 attuli verba docent. Quae si ita sunt, illae clausulae medium quendam tenent locum inter classicum et rhythmicum numerum, qui inde a saeculo quinto percrebruit. — Sed Elterus, quocum haec communicavi, sese huic opinioni accedere posse negavit. Solum enim novum deducendi modum, non diversam struendi rationem ex illis exemplis concludi posse. Putat igitur vir doctissimus posteriores grammaticos novo modo clausulas ita explicuisse, non ut schemata generalia exhiberent, sed singulas formas proponerent, ut supra p. 8 sp. illustratum sit; sed ad diiudicandam hanc controversiam sola grammaticorum testimonia non sufficere, adhibenda potius et cum illis conferenda esse ipsorum auctorum usum et exempla. Mihi autem nunc quidem satis est hanc controversiam, ad quam stringendam usus Pliniani disquisitione adductus sum, paucis attigisse, quoniam Plinius Ciceronianae aetatis clausulas usurpavit, ad quod demonstrandum iam accingamur.

Caput III.

Plinium classicae aetatis numerum adhibuisse demonstratur.

Plinium in usurpandis clausulis eandem rationem secutum esse ac Ciceronem, i. e. mere metricam, probatur ea re, quod Plinius nonnullis locis imitatorem et aemulatorem Ciceronis se esse fatetur, nec est, cur numeros eius sprevisse putemus, deinde

quod Quintilianum, qui has clausulas probavit, magistrum habuit. Et re vera, si Plini opera perquiremus, eandem illum artis rationem servasse ac Ciceronem videbimus. Monosyllaba saepenumero in fine enuntiatorum ponit. Conferas velim, praeter eos qui in primo libro occurrunt, hos locos: (Editionis Keilii maioris) p. 37, 26 „prosequi fas est". 47, 17 „omnium ius est". 51, 25 „locus non sit". Praeterea notavi hos, quibus tamen numerum impleri omnium nullo modo dixerim. 63,10—64,25—70,10—71,10.—83,16—99,8—110,12—115,17—121,21—148,27—197,3—199,6—217,10—248,24—340,8—350,9—356,29—366,26—379,4—379,6—382,10—382,14[1]). Accedit, id quod gravissimum est, quod apud Plinium omnia fere enuntiata ita cadunt, ut ultimarum vocum compages metrica, minime singulae voces per se, in certas easque non ita multas clausularum formas miro modo redigi possit. Quare Hexametri finem ita vitavit, ut inter 5000 exempla non plus 50 occurrant. Sed Plinius hoc schema omnino respuit, non, ut postea fieri solebat, tum solum, cum duo ultima verba singulos pedes efficiant. Accentus metricus et accentus verbi saepissime discrepant; ultima syllaba vocum exspectatione saepius ictum clausularum habet. Antequam autem, quas clausulae Plinius formas usurparit perquiramus, hoc statuendum mihi videtur, quo modo clausulae cognosci possint.

Caput IV.
Clausulae quomodo cognosci possint.

Non satis haec, quam proposui, quaestio explanata videtur, ita ut facere non possim, quin diligentius in eam inquiram. Neminem fugit, clausulae iterati cretici inesse clausulam, si omnino clausula est, hanc – – ⏑ –, quam tamen probat Quintilianus 9, 4, 99, nec minus clausulam dochmiacam ⏑ – –́ ⏑ – quae „quovis loco apta est" (Cic. Orator § 218). Eundem dochmium continet clausula huius mensurae –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ –; clausulae – ⏑ – – ⏑ subest ⏑ – – ⏑. Multa alia huiusmodi exempla afferri possunt neque taedium movebo lectori enumerandis illis, quae ipse sibi

1) Praeterii sane permulta illa exempla, ubi particulae „es, est" synaloephe cum antecedentibus verbis quasi in unam vocem concrescunt.

facile effingere potest. Quaeritur ergo, quae clausularum forma singulis auctoribus sit vindicanda. Optimum mihi videtur ad persolvendam quaestionem clausularum originem cursum gradus considerare. Oratoris summa virtus est illa, quae verba et enuntiata ita exprimat et componat, ut quaevis verba quasi imago rhythmica sint eius quam exprimunt notionis. Quintilianus IX, 4, 139 scribit: „Quid, non vox et gestus accommodatur naturae ipsarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere“ [1]). Sed illud difficilius erat, quam ut posset praestari ab omnibus. Quare in incisionibus solis orationis certam rationem numerosam adfectare satis esse duxerunt oratores. Sic extiterunt clausulae, quae initio variis fictae numeris, sensim in angustiores fines coartatae sunt. Post ab oratoria disciplina in alia genera dicendi inrepserunt. Omne pristinum ἦθος, ut Graece dicam, clausulas sensim amisisse vel inde elucet, quod eam rationem metricam consecutae sunt, ut quam maxime a poetarum usitatis versibus discreparent. *Nam cur clausulae huius formae:* –́⏑⏑–́⏓ *per se verborum compagem non tam volubiliter ad extremum perducant quam ceterae, equidem intellegere non possum.* — Sed clausularum certas formas evasisse ut scimus, ita quae fuerint usitatissimae clausulae classicae ex doctrina veterum plane cognosci non potest. Nam ea, quae grammatici de hac re scripserunt, nequaquam dilucida esse supra ostendi. Non solum inter se dissentiunt, sed saepius ne ipsis sibi quidem constant. Cf. quae Schanz, Römische Litteraturgeschichte, I² p. 292 disscrit. „Sehr ausführlich spricht (Cicero) sich am Schlusse (des Orators) über den rednerischen Numerus aus. Es ist nicht zweifelhaft, dass er auch in dieser Hinsicht Angriffe abzuwehren hatte“. *Restant igitur usus et consuetudo auctorum, quae ad cognoscendas clausulas summi momenti esse censeo.* Hoc tenens cum reperissem, Plinium plus sextam partem omnium clausularum cretico iterato effinxisse, dicretico

---

1) Cf. Dionysi Halicarn. de comp. verb. XVIII, § 136 (Schaefer p. 232).

has clausulas nec dochmiaco generi (quae forma illi inest) illas adnumerare nullus dubitavi. Ceterum Ciceronem dochmiacam clausulam, quamquam probat illam Oratoris § 218, de industria non adhibuisse ea de causa puto, quod iambo in clausulis haud fere locus fuisse mihi videtur. Quare Wolffium rectissime dochmiacum numerum plane neglexisse censeo. — Iam porro huius mensurae –⏑|–⏑⏑⏑ clausulas inspicientem non effugiet, illis paeanem pedem subesse –⏑⏑⏑, quem tamen solum per se clausulam bonam esse et Cicero Oratoris § 218 et Quintilianus 4, 9, 95/96 docuerunt. Nihilominus illi priori schemati –́⏑–̀⏑́⏑⏓ illas admunerandas esse singula exempla Plini perquirens tibi persuadebis. Studuit enim Plinius hac forma usitatiorem illam –́⏑–̀–́⏑ variare. Similiter omnes ceteras clausulas, quas Plinio vindicavi, ipse usus Plinianus mihi exhibuit. Apparet, si hoc modo omnes excusserimus auctores, tum demum de figuris quoque clausularum certas leges fortasse constitui posse. Nam tum videmus, quantum auctoritas huius illius viri complures auctores vel totam aetatem ad imitandos numeros incitaverit. Addendum est, syllabam ultimam semper in nostris clausulis ancipitem esse posse. Nihil hoc expressius docuit Cicero, scilicet non minus tribus Oratoris locis: § 214: „nihil enim ad rem, extrema illa longa sit an brevis". § 217: „Numquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo" (scilicet trochaeus an spondeus). § 217: „Nihil enim interest, dactylus extremus sit an creticus". Plinius ultimam syllabam eodem modo tractasse ex ipso usu illius unaquaque pagina cognosci potest.

Caput V.

Quas clausularum formas Plinius exhibeat.

His, quae adhuc exposui, nisus, quas clausulas Plinium adhibuisse mihi persuaserim, breviter explicabo. Omnium maxime usus est:

1) Cretico continuato trochaeo vel spondeo, –́⏑–̀–́⏓ 2) Ditrochaeo, (vel trochaeo continuato spondeo) 3) Cretico iterato (vel dactylo continuato) –́⏑–̀–́⏑⏓. Has sequuntur –́⏑–̀⏑́⏑⏓, id est, prima clausula soluta arsi pedis posterioris. 5) dispondeus (vel spondeus trochaeo continuatus) –́⏑–́⏓. Sed

non raro auctor variandi causa arses in duas syllabas breves dissolvit, scilicet in his clausulis. 6) ⏑́⏑⏑⏑̀ –́⏑⏑̀ 7) –́⏑⏑̀⏑–́⏓ 8) ⏑⏑́⏑⏑̀ –́⏓ 9) –́⏑⏑̀⏑⏓ 10) –́–⏑́⏑⏓. Praeterea saepius invenitur clausula prima, mutatis pedibus: 11) ⏑́⏑–́⏑⏓ 12) –́––́⏑⏑́. Tum clausula tertia hac forma variatur: 13) –́–⏑̀–́⏑⏑́. Ne choriambus quidem a Plinio spernitur sed coniunctus cum cretico et spondeo (dactylo, trochaeo) non semel enuntiatorum clausulas effingit. 14) –́⏑⏑⏑̀ –́⏑⏑̀ 15) –́⏑⏑–̀–́⏓. Choriambus a nullo eorum scriptorum Romanorum, qui de numero egerunt, commemoratur [1]). Sed illum pedem Graecos et imprimis Demosthenem in deliciis habuisse, Norden nos docet. Deinde a cretico et paeane, quos quomodo dilexerit Plinius iam videbimus, haud ita discrepat. Fieri poterat, ut schemati huic –́⏑⏑–̀ –́⏓ clausula ⏑́⏑––́⏓, i. e. clausula –́⏑–́⏓, variata prioris pedes arsi, inesset [2]). Sed contra tenendum, clausulas multo saepius a longis quam a brevibus inchoare; deinde clausulam ⏑⏑́––⏓, etsi longa syllaba non antecedit, rarissime apud Plinium occurrere. — Clausulas –́⏑–́⏑–̀, –́––́⏑–̀ finem esse senarii iambici haud ignoro. Sed creticus in efficiendis clausulis ita praevaluisse videtur, ut vel spreta illa lege (vitandorum versuum) adhibitus sit. Ceterum quod clausulae ab arsi incipiunt, senarii rhythmus minus sentitur, praesertim cum saepe inter clausulas pure creticas sint positae.

Numeravi et inspexi omnia illorum enuntiatorum extrema, quae interpunctione graviore, id est ., :, ?, ! [3]) a sequentibus verbis sunt seiuncta. Adhibui editionem H. Keilii, critico apparatu instructam (Lipsiae MDCCCLXX). Hac nota: Keil saepenumero interpungere solet; non ut nos consuevimus, sed ita ut medium locum teneat inter colon et semicolon. Sane leviores quoque incisiones numero non carere haud me fugit, sed primum in hac re verendum, ne forte plus tribuamus oratori quam voluerit, deinde notatis illis locis, quorum de clausulis nullo modo ambigi potest, studium et ars auctoris satis illustrantur. Quare non ineptum putavi sequi interpunctionem

---

1) Scilicet ab iis, qui de classica clausula disseruerint.

2) Idem cadit in clausulam A_2: –́⏑⏑̀⏑–́⏓, cui non minus schema –́⏑⏑–́⏓ inest.

3) Confer tamen ea, quae infra de interpunctione disserrui.

4) Praeterea Plinius rarissime produxit, ut haec docent exempla: p. 164,16 intentus in librum. p. 230,12 musteum librum, p. 233,2 urbibus sacra ´⏑‿´~.

5) Ubi st verbum inchoat vocalem brevem secutum, haec longa esse solet: p. 101,14 ego statim feci. p. 260,21 navigabile stagnum ´⏑‿´~. p. 64,13 exposita statim cernitur ´⏑‿´⏑~. p. 84,29 ita statum praestant ´⏑‿´~.

Iam nullo modo miraberis hoc sibi indulsisse auctorem, si ne poetas quidem in hisce rebus sibi constitisse tibi in mentem revocaveris. Et tamen his metrum et prosodia fundamenta sunt totius artis, pedestris sermonis auctoribus non nisi adiumentum oratorium, ut ita dicam, est numerus.

Caput IX.

De elisione et synaloephe.

Constat poetas synaloephen et elisionem certis regulis passim adhibuisse, etsi fuerunt, qui parcissimi in adhibendis iis fuerint, et postea in nonnullis versuum partibus iis uti non licebat. Verisimillimum igitur est, auctores prosae orationis eas non minus usurpasse in dicendi figuris, quas a disciplina metrica mutuati sunt oratores. Probatur haec opinio Quintiliani verbis IX, 4, 109, ubi „praesidium 'st" pronuntiatum esse docet. Plinium, qui concursum vocalium nullo modo vitavit, et synaloephen et elisionem uberrime adhibuisse ipsae clausulae sunt testes. Nam longe plurimis locis, adhibita elisione vel synaloephe, usitatae evadunt clausulae, et elisa

longa vocali ante brevem et longam, et brevi ante longam et brevem. Tempus tererem enumerando omnia exempla, quae plus ducenta sunt. Quare omnis generis nonnulla notabo. p. 19,2 plerique‿amici –́⏑–́⏓, p. 43,9 ordine‿illo –́⏑–́⏓. p. 28,25 longissimae‿imposui –́⏑–̀–́⏑⏓, p. 61,14 turpis ambitio‿est –́⏑–̀–́⏑⏓. 34,15 nescio‿an iusta –́⏑–̀–́⏓. 35,5 scriptio‿elucet –́⏑–̀–́⏓. 93,9 scrinium‿ostendere –́⏑–̀–́⏑⏓. 148,14 nunquam‿eum quaerere –́⏑–̀–́⏑⏓. Dubitari potest de monosyllaborum: „quam cum“, elisione, quae fortasse asperior est, quam qua utatur orator. Contuli hos locos: 9,1 infida‿est quam‿ipsa. 25,20 dixisse quam‿ēdiderint –́⏑–̀–́⏑⏓. 115,12 apta quam‿expressa –́⏑–̀–́⏓. 187,7 certare cum‿electis –́⏑–̀–́⏓. 259,26 quam cum apud te fui[1]) –́⏑–̀–́⏑⏓. 262,18 hostes quam‿ego poetas –́⏑–̀⏑–́⏓. 222,5 illa quae‿absolvit –́⏑–̀–́⏓. 352,2 possit quam‿ut velit –́⏑–́⏑⏓. Sed ut de his dubito, ita certissimum habeo, Plinium has, quas notabo clausulas, aspera elisione non turbasse:

1) 154,8 tibi quam illud mihi –́⏑–̀–́⏑⏓

2) 348,25 hereditatem quam auferre –́⏑–̀–́⏑⏓

3) 393,5 necne cum adeptus est –́⏑–̀⏑–́⏑⏓

4) 367,15 minus quam a te datum –́⏑–̀–́⏑⏓.

Nam hic quoque tenendum est, oratorem metricis praeceptis non ita ac poetam strictum esse. Sed tamen Wolffium de hac re temerius puto iudicasse, cum Ciceronem clausularum causa easdem vocales modo elisisse, modo corripuisse censeat. Equidem oratorem interdum artem numerosam neglexisse credere malim quam tanta in pronuntiatione fuisse inconstantia, quanta Wolffi artificiis ei vindicatur.

Caput X.

De verbis in clausulis saepissime adhibitis.

Si has, quas discripsi et attuli, clausulas percurres, expectatione saepius Plinium verbo finito enuntiata clausisse reperies. 780 enium clausularum, quas primi duo epistularum libri

---

1) Fortasse: quam cum ad te fui, cum Dp. Cf. infra p. 60.

continent, non minus 561 efficiuntur verbi aliqua forma, id est, fere septuagies in centenis (=70 %). In ceteris libris et in panegyrico idem passim observare potes. Quod non miraberis, si verborum mensuram illis clausulis, quas in deliciis habuisse Plinium demonstravi, dico –́⏑–́–́×, –⏑́–́×, –́×–́–́⏑×, accommodatissimam esse tibi in mentem revocaveris. Nam ut omittam, omnia verba in formis bisyllabis optime cadere, illud velim oculis praeponas, coniugationis ipsas terminationes in clausulas optime quadrare.

1) Innumerabiles huiusmodi formae: ––× (laudabat, exivit, cessisti) continent tres ultimas syllabas clausulae B et D. 2) Formae: ⏑–× (monebit, - unt, novavit) clausulae B tres ultimas explent syllabas. 3) Formae: –́⏑× (postulant, audies), itemque dactylicae (vivere, egerit), quae sescenties in coniugationum schematibus occurrunt, terminant clausulam C. 4) Quattuos syllabarum formae frequentissimae (postulabant, abhorruerunt, debuerunt) –́⏑–́× meram efficiunt clausulam B; nec minus huius mensurae formae –́––́×: (obducebat, occurrerunt) clausulam D.

5) Formae ita constructae ––⏑× (legaveram, audiverint) quattuor ultimas syllabas clausulae C praestant; formae ut: inundabat, reformidant ⏑––× clausulam A explent.

6) Quinque syllabarum deinde voces: (reconstruxerim, reportaverant) ⏑–́–́⏑× totidem syllabas explent clausulae C.

7) Formae: –́⏑–́–́× (audiebatis) totae in cl. A, –́⏑–́–́⏑× (commorabamini) in clausulam C quadrant.

8) Participia activa et passiva, quibus Plinius saepissime usus est, clausularum mensurae accommodatissimae sunt: dedicaturus est –́⏑–́–́⏑×, visă sit –́⏑–́, elaborandum 'st, –́⏑–́–́×, confitendum'st –́⏑–́×.

9) Omnia denique verba huius structurae: ⏑⏑× (voluit, redargueret) clausulas –́⏑–́⏑́⏑×, –́⏑⏑́⏑× facile terminant.

Satis ex his, quae disserui, apparet, omnes fere formas verborum, quae ex coniugationis Latinae ratione effingi possunt, earum clausularum, quas Plinio vindicandas esse ostendi, metricae structurae optime respondere. Quin saepe observavi, illis locis, ubi verbum finitum enuntiatum non claudat, id

ideo factum esse, quod non tam bene caderet periodus, si illud in extremo poneretur. Conferas velim p. 186,22: „quod habet maximam in amore constantiam." Ibidem: v. 28 „ex Latino vertere in Graecum." His locis structura vocum in causa fuit ut verbum finitum praepositum sit, et in idem cadit, quod illud rarius talia enuntiata claudit, ubi clausularum causa insuetam vocum compositionem sibi indulserit auctor, de qua proximo capite agam.

Antea Wollfi exemplo (cf. p. 600 sq.) primi libri epistularum clausulae quas habeant incisiones illustrabo.

<table>
<tr><td>–∪|––~</td><td>: 36</td><td>–∪–~</td><td>: 43</td></tr>
<tr><td>–|∪––~</td><td>: 25</td><td>–|∪–~</td><td>: 24</td></tr>
<tr><td>–∪–|–~</td><td>: 23</td><td>–∪|–~</td><td>: 2</td></tr>
<tr><td>–∪|–|–~</td><td>: 10</td><td>–∪–|~</td><td>: 1</td></tr>
<tr><td>–|∪–|–~</td><td>: 7</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>–|∪|––~</td><td>: 6</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>–∪––~</td><td>: 6</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>–|∪––|~</td><td>: 1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>summa</td><td>: 113</td><td>summa</td><td>: 70</td></tr>
</table>

<table>
<tr><td>–|∪–|–∪~</td><td>: 15</td><td>–∪|––∪|~</td><td>: 2</td></tr>
<tr><td>–∪|–|–∪~</td><td>: 11</td><td>–∪––|∪~</td><td>: 2</td></tr>
<tr><td>–∪|––∪~</td><td>: 10</td><td>–∪––∪|~</td><td>: 1</td></tr>
<tr><td>–∪–|–∪~</td><td>: 9</td><td>–|∪|–|–∪~</td><td>: 1</td></tr>
<tr><td>–|∪––∪~</td><td>: 5</td><td>–|∪–|–∪~</td><td>: 1</td></tr>
<tr><td>–|∪|––∪~</td><td>: 3</td><td>–∪|––|∪~</td><td>: 1</td></tr>
<tr><td>–|∪––|∪~</td><td>: 3</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>summa</td><td>: 56</td><td>summa</td><td>: 8</td></tr>
</table>

Clausularum –́∪–̀–́~ et –́∪–́~ incisiones fere eaedem ac Ciceronianarum; clausulae dicreticae vehementer discrepant. Sed fortasse casu hoc factum est, quoniam Wolff multo maiorem numerorum copiam perquisivit.

Caput XI.

De vocibus clausularum causa vel positis vel mutatis vel adiectis, quantique momenti sit numerus in emendandis codicibus.

Iam si quis, cui nec testimonia veterum nec ea, quae supra explanavi, satisfecerunt, clausulas omnino esse negat nec nisi in quorundam philologorum cerebris extare putat, huic hoc proferam argumentum, in Plini operibus permultos esse locos, quibus luculenter evincatur, auctorem certa verba non nisi clausularum causa vel posuisse vel mutasse vel adiunxisse. In panegyricum praecipue inquisivi et haec contuli exempla: 1) p. 321,7 non habent tempus –́◡–̀–́⏓. 2) Alter eligi, alter eligcre –́◡–̀◡́◡⏓ (sueto modo diceremus: alter eligere, alter eligi). 3) 329,15 aegris opem ferres –́◡–̀–́⏓. 4) 329,26 qui debeat imperare –́◡–́⏓. 5) 332,7/8 catenis triumphum gravem, –́◡–̀–́◡–̀. 6) 336,2 adoptionis tuae recordatio –́◡–̀–́◡–̀. 7) 340,8 quibus alimentis opus non sit –́◡–̀–́⏓. 8) 343,22 omni adfectione aut intactus aut maior –́◡–̀–́⏓. 9) 347,6 eius vincensimam ne darent –́◡–̀–́◡⏓. 10) 350,8 obstructus est aditus –́◡–̀◡́◡⏓. 11) 351,23 quae sis queri solitus –́◡–̀◡́◡–̀. 12) 352,10 ex conscientia merces –́◡–̀–́⏓. 13) 360,6/7 faciendum est sub bono principe –́◡–̀–́◡–̀. (Verbum finitum praepositum est). 14) 363,1 magnum .... gloriam maius –́◡–̀–́⏓. 15) 365,16 in principum plus –́◡–́⏓. 16) 373,14 invita suscipiat, aut si susceperit invita ne debeat –́◡–̀–́◡–̀. 17) 378,28 quid mereatur interrogat –́◡–̀–́◡–̀ (sueta compositio hexametri finem efficeret [1]). 18) 386,27 etiam si diversa tu facias –́◡–̀◡́◡⏓. 19) 382,22 ut solet cohibere nec poterit –́◡–̀◡́◡⏓. 20) 382,24 seu fuerit victa seu vicerit –́◡–̀–́◡–̀. 21) 384,3 cum tua laude condatur –́◡–̀–́⏓. — Ex epistulis contuli:

1) p. 16,9 est enim maximum –́◡–̀–́◡–̀.
2) p. 18,12 annus hic attulit –́◡–̀–́◡–̀.
3) p. 21,20 ponendus est calculus –́◡–̀–́◡–̀.
4) p. 25,11/12 fertur esse quae maxima –́◡–̀–́◡–̀.

---

1) Similis mutatio verborum, ut vitetur hexameter, p. 19, 20 occurrit: „familiarissime diligit, reveretur ut senem“.

5) p. 26,14 nisi .... non potest brevitas –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓.
6) p. 59,3 fabulas immo –́ ⏑ – –́ ⏓.
7) p. 59,13 quem sum frequenter expertus –́ ⏑ – –́ ⏓.
8) p. 74,9 absolutus est Fuscus –́ ⏑ – –́ ⏓.
9) p. 141,13 pietatis est totus –́ ⏑ – –́ ⏓
10) p. 199,22 iuris ille consultus –́ ⏑ – –́ ⏓.

Non omnia haec sunt exempla, quae adferri possunt sed satis ex illis perspicuum esse puto, quantum in mutandis vocibus numeri causa sibi indulserit Plinius.

Simul apparet, clausulas — ut iam Guil. Meyer et Norden docuerunt — saepenumero nobis optatissimum praebere adiumentum in restituendis veris lectionibus. Librarios verba mutando saepissime textum codicum corrupisse et constat et facile intellegitur, nec minus clarum, hoc imprimis cadere in tales insuetas verborum compositiones, quales Plinium non raro numeri causa adhibuisse antecedente capite vidimus, quoniam librarios numerorum rationis plerumque ignaros fuisse verisimillimum est. Nec Plini operum alia fuisse videntur fata, cum nonnulla repererim exempla, ubi ex tradita verborum compage nullae possint enucleari clausulae, quamquam verba si facile mutas, usitatissimi evadunt numeri.

p. 20, 13 legitur: „et quidam senatorius decor", si mutas: „decor senatorius" habes clausulam –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓.

p. 89, 17 „necessario officio", transpone, „officio necessario", iam evadet cl. –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓.

p. 93, 24 „efficere potuisset", mutatis verbis clausula efficitur –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏓ „potuisset efficere".

p. 116, 22 „opus venia fuit", nulla clausula; si transponis: „opus fuit venia" –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓.

p. 139, 24 „gaudio meo indulgeam"; si scribis: „meo indulgeam gaudio" –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓, dicreticus numerus evadit, elisione vitata aspera.

p. 259, 7 „sufficit venia", –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏓ haec est clausula, mutatis verbis, „venia sufficit".

p. 361, 31: „ne domino locus", „ne locus domino" –́ ⏑ –́ –́ ⏑ ⏓.

His, quos attuli, locis, ipsa facilitas mutandi ansam nobis praestat difficultatem levandi.

Sed summa cautione opus esse apparet. Primum ratio habenda est consuetudinis singulorum auctorum, deinde videndum, ne numeri causa peccemus in sermonem Latinum. Nec minus hoc tenendum est, auctores, ne orationis compositio similitudine offenderet, clausulas minus usitatas fortasse de industria adhibuisse, ubi verborum alia compages meliores clausulas facile effecisset. — Praeterea bis tantum a Keilii textu recessi, scilicet:

1) I, 16, 19 FD „contigit“ exhibet, quod Keilius in textum recepit. Ego malim „contingit“ cum pra. Nam quid hoc loco sibi velit perfectum, nescio; praecipue cum verbo amandi male coniungitur. Quod usitatissima clausula evadit ´ ⏑ ⏓ –́ ~, ad comprobandam emendationem maxime est idoneum.

2) II, 13, 18 cum optimis codicibus scribendum puto: „quasi liceret indulsit“. Haec quoque verba optima clausula comprobantur.

Caput XII.

Quantum Plinius Ciceronem clausularum figuris aemulatus sit.

Quoniam quam rationem metricam quasque clausularum figuras adhibuerit Plinius perspeximus, nunc licet movere quaestionem, quemnam eum aemulatum putemus. Nam et veteres Graeci et Cicero et Quintilianus de formis bonarum clausularum dissenserunt. Primo obtutu verisimile videtur, Plinium secutum esse praecepta Quintiliani, quem magistrum suum fuisse ep. 14 libri II expresse fatetur. Sed nonnumquam a Quintiliani praeceptis abhorret. Nam clausulas –́ – –́ –, –́ ⏑ –́ ⏑ ⏓, –́ – –́ ⏑ ⏓, quas Plinius nequaquam repudiavit, ille minime comprobat, IX, 4, 101, 104, 108. Sed ne dichoreum quidem Quintilianus in deliciis habuisse videtur, si quidem verba § 103: „quo Asiani sunt usi plurimum“ et § 105: „Non optimus est trochaeus“ recte intellego. Deinde licentiam usurpandae ancipitis syllabae in extremo enuntiatorum, quam vetuit Quintilianus, Plinius passim sibi indulsit. Mirum omnino, praeter illum locum Quintiliani nomen et studia nusquam occurrere,

quamquam Plinius in enumerandis et diiudicandis viris artis rhetoricae peritis nequaquam fuit parcus. — Restat ergo unus Tullius, cuius vestigia se sequi non uno solum loco profitetur. Longum est enumerare omnes locos, quibus summa admiratione de Cicerone loquitur. Statim in I. libri epistula 2 legimus: „Nec tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus“. Et re vera hi duo viri totius vitae cursu, moribus, indole adeo sunt similes, ut sane mirum esset, si illum non aemulatus esset. In hac autem quaestione considerandum est, Plinium 150 annis post Ciceronem scripsisse, illa aetate, qua minuta cola omniaque Gorgiae crepitacula revixisse constat, et ut nemo fere suae aetatis studia, quamvis illis obsistat, potest plane neglegere, sic Plinius quoque a facetis antithesibus aliisque luminibus illo tempore usitatis nequaquam se abstinuit. Sed, in universum si iudicas, et periodorum extensiones et orationis figurae, ut dicola et tricola asyndeta, Ciceronis stilum et doctrinam, non Senecae, sapiunt. Ceterum Plinius magnae illius de stilo controversiae, quae multa saecula inter Asianos et Atticos fuit, non fuit alienus. Quod perspicue cognosci potest ex libri I. ep. 2, deinde ex libri VII. ep. 12, ubi Atticos vituperat: „ὑμεῖς γὰρ οἱ εὔζηλοι optima quaeque detrahitis“. Hanc litem et ad clausulas et numerum pertinuisse hac de causa equidem crediderim, quod Asianos ditrocheum in deliciis habuisse est traditum [1]). Sed hoc utut se habet, Plinius clausulas quoque Ciceronis imitatus est. Quis hoc negabit, qui tabulas Wolffi cum meis contulerit?

Quam ad rem illustrandam haec Wolffi collegi exempla:

1)	clarissimos cives	–́ ⏑ –̀ –́ ~
2)	amplissimos patruos	–́ ⏑ –̀ –̀ ⏑ ~
3)	foedissima flamma	–́ ⏑ –̀ –́ ~
4)	flagitiosissimae nundinae	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ~
5)	verissime iudicat	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ~
6)	nefarie fecerit	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ~
7)	dissipatis	–́ ⏑ –́ ~
8)	debet esse	–́ ⏑ –́ ~

1) Cf. Schanzii verba I² p. 292, quae supra notavi.

9) processisti –́ – –́ ≃
10) serviebat –́ ⏑ –́ ≃

Nonne easdem clausulas, scilicet: –́⏑–̀–́≃, –́⏑–́≃, –́⏑–̀–́⏑–̀ apud utrumque praevalere videmus? Non clausulas –́⏑–̀⏑⏑≃, –́⏑–́⏑–̀, –́––́⏑–̀, non choriambicas clausulas et Cicero et Plinius usurpavit? Nec non paeanas –́⏑⏑–̀–́≃, –̀⏑⏑–̀–́≃ similesque uterque praestat. Porro Plinius verba longa, quae totam clausulam explent, item ac Cicero, nequaquam repudiavit. P. 33, 15 „eloquentissimus“, p. 46, 22 „delicatissimae“, p. 50, 4 „sis disertissimus“, p. 51, 10 „concupiscentibus“, p. 198, 27 „obsequentissime“, p. 211, 4 „eruditissimi“, p. 218, 29 „experimentum“, p. 365, 25 „desiderabamus“, p. 369, 22 „machinabantur“, p. 157, 5 „perseverarunt“, p. 370, 2 „summovebantur“, p. 377, 18 „perseverasses“, p. 380, 27 „summovebatur“. Plura huiusmodi invenies verba, quae tamen Quintilianum vetuisse p. 25 vidimus. Clarum igitur, Plinium non magis quam Ciceronem de vitandis quibusdam in clausulis verbis certas regulas sibi statuisse. Copia usitatissimarum clausularum Ciceronis copiam Pliniarum clausularum longe superat. Cicero in hac quoque arte summum se praestit auctorem, quem nemo, ne Plinius quidem aequare potuerit. Nihilominus etiam in Plinium cadit, quod Pompeius Messalinus de Cicerone tradidit, eum in numeris palmam tribuisse cretico (cf. Gr. L. VI, 575).

Iam haec scripseram, cum liber A. Macéi, cui titulus est: „Essai sur Suétone“ (1900) mihi in manus venit. Quo in libro ille vir doctus de numeris quoque Suetoni verba fecit iisque totum caput VIII. p. 379 vindicavit. Etsi Macé rem non recte instituit (item ac Bornecqius duorum ultimorum verborum rationem habuit),[1]) neque omnino totam de numero materiam pertractavit, tamen ex illis quae proposuit satis intellegi potest, Suetonium eandem rationem metricam secutum esse easdemque clausularum formas adhibuisse ac Plinium. P. 380 auctor expressis verbis explicat, Suetonium et Symmachum diversas rationes numerorum exhibere. Cui non in mentem vocatur, quod de hac discrepantia disserui? Nam cum Symmachus monosyllaba vitaverit, Suetonius et tales voculas et verba ut: „ap-

1) Cf. infra p. 57.

pellarentur, elatorum“, quae ille repudiavit in fine enuntiatorum posuit, quod usitata est clausula –́ – –́ ⏓ nec quot aut qualibus verbis componatur refert. Nonne Macei exempla si percurris, Plinianas legere putas clausulas? Nempe utrique, et Plinio et Suetonio, te clausulae –́ ⏑ – –́ ⏓ et –́ ⏑ – ⏓ usitatissimae sunt. Sequitur forma –́ – –́ ⏓, cui eae quoque adnumerandae sunt, quas Macé p. 390 separatim exhibuit. Nec non figuras –́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏓, –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏓ Suetonius eadem ratione eademque copia ac Plinius usurpavit. Quare certissimum habeo, si quis fusius Suetoni clausulas indagabit, ita fere, ut ipse Plini in numerum hac dissertatione inquisivi, eum et de copia et de formis clausularum similes inventurum esse rationes.

Caput XIII.

Meyeri error, Wolffi opiniones quaedam, Bornecquii totius materiae perversa tractatio redarguntur.

Guilelmus Meyer (Spirensis) l. c. p. 13 secundo saeculo post Chr. n. clausulam creticam inventam esse et percrebruisse docuit. Quod iam Norden breviter refellit p. 926, itemque Wolffo, cum Ciceronis usum uberius demonstravit. Nec non ipse hac dissertatione ad confirmandam illam refutationem contulisse mihi videor. Scribit Meyer: „Allein wenn auch der Kretiker in den Satzschlüssen des Cicero oft, in denen des Plinius meistens hervortritt, so war es doch ein kühner Entwurf, ein System des wohlklingenden Satzes fast ausschliesslich auf dem Kretiker aufzubauen.“ Alio loco Ciceronis et Plini aetate clausulas non passim adhibitas esse ait, sed oratores in commendandis his, aliis refellendis acquievisse. Apparet autem ex capite antecedenti, quam non recte de hisce rebus iudicarit vir ille de re metrica summopere meritus. Nimirum 3760 epistularum enuntiatorum non minus 2656 i. e. plus 70 % in clausulas exeunt cretico vel illius simillimo paeane structas. Et licet Cicero eum in adhibendo amphimacro superet, tamen Plinium in fingendis numeris omnium pedum longe maxime cretico studuisse nemo negabit. Nullo igitur modo opus erat illo ordinatore vel inventore Meyeri, qui creticum in hunc locum institueret.

Praterea ad sustinendam hypothesin Guilel. Meyer pedes illos quos „verschobene Kretiker“, appellat coactus est ut fingeret, cum tamen de his nil traditum habeamus. Terentianum autem, cuius sola doctrina Meyeri nititur ratio, eosdem numeros commendasse vidimus quos Cicero et Plinius adhibuerunt. Horum igitur virorum usum propagare voluisse illum grammaticum verisimile est. Accedit porro, quod, si tum demum clausulae solo fere amphimacro strui coeptae essent, hic pes apud grammaticos posteriores mea quidem sententia necessario multo plus viguisset, quam videmus. Nam utut de horum numeris iudicandum est (cf. supra p. 14/15), creticus in illis non tanti fuit momenti, quanti in Ciceronianis et Plinianis, ut ex collectis testimoniis satis perspici potest. Quin Julius Victor (Halm, rhet. lat. p. 433) expressis verbis ne saepius usurpetur amphimacer monet. Quare haec mihi clausularum fata fuisse videntur, creticum a Cicerone iisque qui eum imitati sunt in deliciis habitum, sensim sensimque aliis pedibus cessisse. — Haec in Meyeri hypothesin eo magis dicenda mihi putabam, quod Nordenum illi non persuasisse apparet ex novissimi operis (Fragmenta Burana, Festschrift zur 150. Feier der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, 1901) p. 148 adnotatione.

Wolff Quamquam de ratione clausularum classicae aetatis plane mecum consentit nec ullo modo quin mere metricae poeticaeque disciplinae depromptae sint dubitat, tamen nonnulla exhibuit, quae comprobare non possum. Primum Ciceronem censuit de industria studuisse, accentum vocum, quamquam licebat, non violare. Miror Wolffium in hunc incidisse errorem. Nam qui exempla, quae ipse attulit, perquiret, satis multa inveniet, quae contrarium docent. Nec non Plinius in unaquaque pagina huius modi praestat exempla, *in quibus permulta sunt, ubi ultima syllaba vocis primum clausulae pedem effingat, quod tamen accentui verborum Latinorum est contrarium.* Inter 70 primi libri –́⏑–́⏓ clausulas *non minus 24 sunt,* quae post primam syllabam incisae sunt, ut: „nobis solebam“, „amici tuendum ’st“, „ambiendi remisit“ [1]). Tum imprimis in longis dicreticis clausulis

1) Cf. supra p. 46.

accentus nunquam fere observatur: „hac vel illa cadit“, „de metu non querar“, „velis rogo‿ignoscas.“ Huiusmodi exempla non pauca ipse Wolff adfert, ut p. 589: „parūm tragicē transtulit“. Secutus autem est ille vir doctus doctrinam Ritscheli, qui Plautum Terentiumque nonnullam vim accentui verborum concessisse putavit. At hoc mea quidem sententia plane refutavit Guil. Meyer: „Über die Beobachtung des Wortaccents in der lateinischen Poesie,“, München 1884, ubi hoc non de industria, sed ex indole linguae Latinae factum esse ostendit. Et quoniam Ciceronis et Plinii clausulae ex disciplina poetica in prosam orationem deductae sunt, de his idem mihi tenendum videtur nec cum Wolffio consentire possum. Sed ille miro modo ipsi sibi non constat, quippe qui Ciceroni clausularum mensuras, quae vel a poetarum disciplina abhorrent, vindicaverit p. 669, dico formas velut: „optima putabatur, mirabiliter aptus“, –́⏑–̀⏑–́⏓. Huiusmodi mensuras structurae linguae Latinae plane obstrepuisse inde apparet, quod poetae usque eas vitaverunt. Quare ubi tales in Plini operibus occurrebant, non magis, quam heroici versus finem clausulis probatis adscripsi. Cuiusmodi exempla haec congessi:

Epistularum:

1) ac potius unus –́⏑–̀⏑–́⏓ p. 48,2.

2) continet et accendit –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 53,4.

3) cetera tenebantur –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 107,1.

4) nititur et accendit –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 130,3.

5) addere gradum cogo –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 165,14.

6) omnia relaturos –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 172,6.

7) tragoedia vocabatur –̀⏑⏑–̀–́⏓ p. 182,15.

8) minoribus haberemus –̀⏑⏑–̀–́⏓ 220,16.

9) epistula tua‿ostendit ⏑⏑⏑⏑–– p. 248,7.

10) tamen venia sufficit[1]) –⏑–⏑–⏑– p. 259,7.

Panegyrici:

11) specimen haberetur ⏑⏑⏑––– p. 367,6.

12) utilitatibus et insurgere ⏑⏑⏑––⏑– p. 371,21.

13) incidere videretur ⏑⏑⏑––– p. 381,4.

14) quam penitus inspici –⏑–⏑–⏑– p. 386,5.

15) quam meodica cultu –⏑–⏑–– p. 386,22.

16) parte alius amnis –⏑–⏑–– p. 342,29.

Wolffius autem sibi contradicit p. 590, ubi verbis: „tot saecula permanet" clausulam –––⏑–⏑– vindicare non vult, quod „prorsus contra linguae Latinae pugnat hic accentus." Ceterum Wolffium has clausulas –––⏑–⏑–, ⏑⏑–––⏑– rectissime in tabulas recepisse ea de causa censeo, quod Guil. Meyerus l. c. ostendit, Terentium quoque ac Plautum in construendis schematibus dicreticis has formas sibi indulsisse. Sed ipse haec schemata tabulis meis non inserui, quod utrumque non ita saepe apud Plinium occurrit. Notavi:

1) „a me nimium putem" ––⏑––⏑– p. 203,24.
2) „laudabiliora‿erant" ––⏑––⏑– p. 260,7.
3) „nisi cum ter consule" ⏑––––⏑– p. 366,11.

Sed ut rem ad eam, quam movi de accentu quaestionem revolvam, libenter concedo, ut in Ciceronis ita in Plini clausulis accentum vocum et accentum metricum plurimis locis congruere. Sed hoc non de industria factum, sed ex structura linguae Latinae explicandum puto. Illa enim lege, secundum quam a quantitate paenultimae syllabae pendet, quem accentum verbum habeat, efficitur, ut accentus plurimorum verborum cum clausularum, quas usitatissimas esse vidimus, –⏑–––, –⏑––, –⏑––⏑–,

---

1) Cf. p. 48.

accentu metrico congruat. Wolffium, qui tam diligenter in eas formas, quae in clausulas quadrant, inquisivit, miro modo hoc effugit. Si conferes ea, quae p. 44 sqq. de verbis, apud Plinium saepissime clausulas efficientibus, disserui, semper fere accentum verbi et metri congruere senties. Sed praeter verba plurima nomina quoque ita sunt constructa:

1) Frequentissimae formae spondiacae et trochaicae –⏒ = –⏓ in clausularum A BD extremum ita quadrant, ut accentus verbi servetur. Trisyllabae huius mensurae formae ⏑–⏒ = ⏑–⏓ in B, ––⏒ = ––⏓ in AD eadem ratione cadunt. Has formas longe plurimas esse nemo negabit.

2) Item creticae voces in clausulae C ambos pedes et in clausulae A priorem pedem ita cadunt, ut accentus verbi et metri idem sit.

3) Dactylica quoque nomina in ultimum pedem clausulae C semper, in priorem pedem cl. A et C tum quadrant — servato verbi accentu — cum in consonam exeunt et vox sequens a consona incipit.

4) Nomina formae ⏑⏑⏒ = ⏑⏑⏓ (tunica, domino) in clausularum A_1, B_1, D_1 –́⏑–̀⏑́⏑⏓, –́⏒⏑́⏑⏓ ultimo pede accentum tenent.

5) Nomina denique tetrasyllaba, quae paenultimam longam habent, tota quadrare in clausulas B, D, ita ut accentus servetur, facile intellegitur (consulatus [– ⏑ – ⏑], convivalis [– – – ⏑]).

Sed non omnia proferam exempla, quod ex his, quae attuli satis elucere puto, accentum linguae Latinae accentui metrico clausularum, classica aetate adhibitarum, accommodatissimum esse. Recte igitur G. Meyerus (Göttinger gelehrte Anzeigen, 1893, p. 20), ubi de rhythmicis posteriorum temporum structuris loquitur, adiungit: „Also fügen sich die meisten und häufigsten der quantitierenden Schlüsse ohne weiteres in die einfachen Formen des accentuierten Schlusses“.

Maxime autem miratus sum ea, quae Wolffius § 660/61 de elisione in fine membrorum disseruit. Nam etsi se in errorem incidisse p. 661 fatetur, tamen illa argumenta, quae profert, nullius preti esse mihi videntur, quod mea sententia

huiusmodi ultimae vocalis clausularum elisiones nunquam, etsi optimae evadunt clausulae, adhibitas esse licet putare. Ipso enim nomine „clausulae“ talem errorem refutari censeo, quoniam clausulae sunt verborum compages metrice structae, quae enuntiata claudunt vel enuntiatorum partes. Ergo si elisione enuntiatorum partes coniungimus, incisiones, quae sunt sedes numeri, plane sublevamus. Praeterea oratori respirandi tempus non datur; nam inter duas voces, quas elisione contrahimus, respirare non possumus. Sed optime sententiam meam confirmant ipsa verba Ciceronis (de Oratore, § 181 libri III): „Clausulas enim atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum tam suave est, ut si cui infinitus spiritus datur, tamen eum perpetuare verba nolimus“.

Bornecquius in iis quas supra commemoravi disputationibus rem ita instituit, non ut schemata metrica excusserit, sed ut duarum ultimarum vocum mensuram singillatim respiciens certorum paradigmatum formas proposuerit. Et quod novissimo de Bruti numeris tractatu eandem secutus est rationem, quamquam Wolff adnotatione 1. p. 582 breviter eam refellerat, mihi quoque hoc loco paucis illud tangendum est. Non enim multis verbis opus esse censeo, cum quales sint clausulae classicae, quomodo cognosci possint, quales exhibuerit Plinius uberius supra ostenderim. Satis ex his dilucidum, Bornecquii ratione rem funditus perturbari verasque clausulas plane divelli. Quare qui tabulas illius perquiret, veram numerosae artis imaginem nequaquam percipiet, nec ullo modo fieri poterat, ut perversam totius materiae tractationem sequerer.

Caput XIV.

Clausulae quid de interpunctione doceant[1].

Restat, ut de interpunctione loquar, cuius ratio clausulis nonnihil illustrari mihi videtur. Apparet enim, verba, quibus clausulae efficiuntur, unam compagem et quasi corpus necessario effinxisse, et quoniam vidimus, Plini clausulas item ac

1) Cf. Norden, II, p. 952.

Ciceronianas non raro tres vel quattuor excessisse voces, facile intellegimus, fieri posse, ut priora verba, si grammaticas regulas respicimus, cum antecedentibus verbis arctius quam cum sequentibus cohaereant et propterea in editionibus levi interpunctionis nota secludantur. Iam si clausulas et tabulas, quas proposui, perspicies, in Keilii editione haud exiguam partem clausularum tali interpunctione direptas esse reperies. Quin unaquaque fere pagina hoc tibi occurret. Nonnulla proferam exempla:

352,13	abundeque, si non nocet	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.
353,11	dicam, sequaces sumus	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.
359,13	esse, qui te dedit	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.
365,11	fuisse, sed diceris	–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.
367,23	iusserant; revocent	–́ ⏑ –̀ ⏑́ ⏑ ⏓.
374,3	principes, nisi quos odimus	–́ ⏑ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.
378,9	reprimebatur, exarsimus	⏑ –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓.

Neminem puto dubitare, quin haec exempla illas, quas adscripserim, efficiant clausulas. P. 260, 10 verba: „quid agis? quid acturus es“? vel graviore interpunctione seiuncta sunt, quamquam clausula –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓ = C in unum ea redigat corpus. Ego falsissimum clausularum voces hoc modo divellere omnesque huiusmodi interpunctiones ex libris removendas esse censeo. Iam hoc modo grammaticae structurae nimis vim afferri putanti cogitandum est, totam numerorum rationem novum et luculentum nobis praebuisse documentum, veteres in dicendo et omnino in sermone pedestri exterae, ut ita dicam, speciei et formae multo plus tribuisse, non solum quam nos illi nunc tribuimus, sed etiam quam veteres unquam illi tribuisse putaveramus.

Vidimus, quantum ponderis apud Plinium habuerit numerus nec iam miramur perseverantiam et plausus, quibus veteres honorasse oratores suos nobis traditum est. Cuius rei causam etsi magna ex parte vividae meridianorum populorum tribuis indoli, tamen non minus his, de quibus egi, numeris imputabis. Ipse Cicero hoc testatur de Oratoris libri III. § 195, cuius verba hanc dissertationem iam ad finem perducant: „Illud autem ne quisquam admiretur,

quonam modo haec volgus imperitorum notet in audiendo, cum in omni genere tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava diudicant.“ § 197: „Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces, quibus et excitamur et incendimur et lenimur et languescimus et ad hilaritatem et tristitiam saepe deducimur.“

Haec iam typis exscribenda curaturus eram, cum C. F. W. Muelleri nova Plini editio est edita. Apparatum criticum ita instituit auctor, ut ubi a Keilio dissenserit facile cognoscatur. Locos ad clausulas nostras pertinentes reperi hos (emendationi Muelleri postponam lectionem Keilii): 1) 26,8 comparabit — comparabis. 2) 43,26 .. pietate successit) mater e primis. — pietate successit. mater e primis .... 3) 45,11 Sequuntur auditores actoribus similes, manceps convenitur a conductis et redemptis -́ ⏑ -́ ⏓. — Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti -́ ⏑ -́ ⏓, manceps convenitur -́ ⏑ -́ ⏓. 4) 51,29 suggerit — egerit, 5) 52,17 clare iocabantur — clare loquebantur. 6) 61,19 instituit et perfecit -́ - -́ ⏓, instituit et perficit ⏑̀ ⏑ ⏑ -̀ -́ ⏑ -̀. 7) 62,32 impertiretur — impenderetur. 8) 64,1 recessit venter — venter recessit. 9) 71,1 postulavit — postulabat. 10) 73,26 non solet tenere — solet non tenere. 11) 80,30 complures frugi mancipes -́ - -̀ -́ ⏑ -̀, frugi mancipiis -́ - ⏑̀ ⏑ ⏓. 12) 89,5 in studiis cupio — aemulari studiis cupio. 13) contuli cum prudentibus -́ - -̀ -́ ⏑̀ -̀ — cum peritis iuris -́ ⏑ -́ ⏓. 14) 95,4 nunties — nuntia. 15) commendationem meam dicere — .... dixero. 16) 108,8 emendandosque curem — recognoscendosque curem. 17) 114,29 Ennius Acciusque — Accius Enniusque. 18) 115,33 procedet — procedit. 19) 118,34 promodo longam — et prominulam. 20) 130,1 Flavium Aprum — Fabium Aprum. 21) 161,30 pertinentis ad exemplum -́ ⏑ ⏑ -̀ -́ ⏓ — pertinentes ad exemplum -́ ⏑ -̀ -́ ⏓. 22) 171,33 me delectat — delectant. 23) 186,26 conveniret -́ ⏑ -́ ⏓ — feminae convenit -́ ⏑ -̀ -́ ⏑ -̀. 24) 191,18 me melius norint — meos melius

noriut. 25) 191,24 a me nimis unquam putem — a me nimium (putem. 26) 206,27 ignorationem induxit — ignorantiam‿induxit 27) 215,2 ne gravare scribere — ne gravare. 28) 220,1 diversa convertit — adversa convertit. 29) 243,20 quam cum ad te fui — quam cum apud te fui[1]. 30) 302,22 celebrare universi solemus –́ ⏑ –́ ∼ — universi praedicare solemus. 31) turpitudine rependit? –́ ⏑ –̀ ⏑ –́ ∼ — turpitudine rependit, salva est. 32) 342,13 ipse non adfectas –́ – –́ ∼ — ipse non appetas –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀. 33) 346,6 ceterum‿aeterna‿est –́ ⏑ –̀ –́ ∼ — Keil omisit. 34) 363,2 exiluisse se sensit –́ ⏑ –̀ –́ ∼ — exiluisse sensit –́ ⏑ –́ ∼. 35) 378,21 praevenit altera –́ ⏑ –́ ⏑ –̀ — excipere praevenit ⏑́ ⏑ ⏑ –̀ –́ ∼. — Videmus clausulas plurimis locis easdem esse nec ullo modo nova hac editione commutari imaginem, quam de Plini arte numerosa proposui.

1) Cf. infra adn. p. 44.

———

Vita.

Natus sum Carolus Hofacker die sexto mensis Octobris anni 1877, Straelenae, in vico Rhenaniae inferioris, praentibus Gerbardo et Maria, e gente Dohr, quibus vivis salvisque vehementer gaudeo. Religionem profiteor catholicam. Patrio in oppido primis litterarum elementis imbutus, puer tredecim fere annorum Venlonam, Batavorum in urbem, migravi, Collegium Albertinum frequentaturus, quod coenobium auspiciis Patris Pii Keller, Ord. Praed., florebat, cui viro summam debeo gratiam. Quatuor ibi versatus annos, Kempenam me ad perficienda gymnasii studia contuli, ubi Josephus Pohl, vir summopere de me meritus, directoris vicibus fungebatur. Anno 1897, maturitatis testimonio exstructus, Bonnam profectus sum, philologicis studiis ut operam navarem. Eodem consilio autumno anni 1898 Berolinensem adii universitatem, ubi per sex menses scholas audivi vir. ill.: Diels, Koehler, Koser, Münch, Pernice, v. Richthoven, Stumpf, v. Wilamowitz-Moellendorf. Inde rursus Bonnam petivi, ubi per novem semestria audivi vir. ill.: v. Bezold, Bücheler, Elter, Hampe, Loeschcke, Neuhäuser, Nissen, Radermacher, Ritter, Solmsen, Strack, Sudhaus, Usener. Quibus viris cum omnibus tum Francisco Buechelero et Antonio Eltero pro summnis in me meritis gratiam semper habebo quam maximam.

Theses.

1) Verba Plutarchi (Vitae Caesaris cap. 46): „Ταῦτά φησιν Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥώμαιςτι μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τότε τὸν καιρὸν, Ἑλληνιστὶ δὲ ὑπ αὐτοῦ γεγράφθαι“, ita emendanda sunt, ut adverbia Ῥωμαιστὶ et Ἑλληνιστὶ commutentur.

2) Iuvenalis vocis „tibi“ syllabam ultimam tum solum producit, cum syllaba sequens longa est et cum illa spondeum effingit.

3) Cassiodori verba (Inst. div. cap. 15), quae Norden (Antike Kunstprosa, II, 929 adn. 2) proponit, facile intelleguntur, si veram servamus lectionem Keili (Gr. L. VII, 211,7): „In prosa caput versus heroici finemque non corrigas, quinque longas totidemque breves non audeas improbare, trochaeum triplicem laudabilis neglectus abscondat.“

4) Plini epistulae nonae libri primi scripturam: „cunctaque non constet“, quam Keili editio exhibet minor, ita servaverim, ut aliquod verbum, velut „vacillat“ praeponendum censeam.




140128



